

136

I. N. J.

DISSERTATIO CHRONOLOGICA,  
DE

SOLIS, LUNÆ,  
ET INDICTIONUM  
CYCLIS,

*Et que ex his componuntur,*

VICTORIANA, CONSTAN-  
TINOPOLITANA, ET JULIANA,  
PERIODIS,

*Quam*

*Ex Indultu Amplissima Facultatis Philosophicæ, in*  
*Electoralis Academiâ VVittebergensi,*  
Ad diem 26. Novembris, M DC LVI.  
publicè ventilandam exponunt

PRÆSES

M. BALTHASAR-JOHAN.

PICHTL, Oldenburgicus,

*& RESPONDENS*

JOHANNES BAYER,

Eperiessino-Hungarus.

LITERIS JOHANNIS HAKEN.

17.

a. LXXXIX. 49.

l. diss. A  
49



Sachs.  
Landes-  
Bibl.

I. N. J.

**C**HARACTERES CHRONOLOGICI, qui in doctrinâ de Tempore Caufarum vices fufinent, & Principia Cognoscēdi aliàs vocantur, funt vel *Astronomici*, ut Eclipses, Novilunia, Plenilunia, Æquinoctia, Solstitia; vel *non-Astronomici*, iiq̄ue tum *Sacri*, ut Sabbatum, Cyclus Sabbaticus, Cyclus Jobelæus, tū *Profani*, ut Cyclus Solis, Cyclus Lunæ, Cyclus Indictionis. Hi ultimi, licet præ cæteris notiffima res esse videantur, cū in omnibus Calendariis ad frontispicium collocari soleant; non ut nominibus tamen, ita altiore fui recessu, & utilitate obviū cuivis existunt: Quod enim Maximorum virorum labores maximi, & Scaligeri imprimis cum Petavio susceptæ contentiones ostendunt, intricata de his, & quæ lucubrationibus honoretur, digna est materia. Nos animo eam induximus, quoad DEUS ingenioli captum exaudiet, ad Præceptorum nostrorum dogmata ventilare.

§. 2. CYCLUS SOLIS est XXVIII. Annorum, seu VII. Lustrorum Julianorum systema, perpetuò in orbem recurrens, ad id constitutus, ut Characteres Feriarum in Annis Julianis inveniri queant.

§. 3. Contradistinguitur hic Cyclus ἐπταζώνη Καλλιμακῆς ἡμέρας, illi, quem Mexicanos, ante quàm ab Hispanis opprimerentur, in usu civili observâsse legimus; is erat Circulus Solaris 13. dierum, qui elapsis 52. annis redibat in orbem: & prisci Quirites orbe Nundinarum utebantur, annorum 32. siquidem pro hebdomade accipiatur ogdoas, Julianorum systemate: Verùm alia res est de Cyclo Solis Romano: hunc

Scaliger institutum existimat anno Christi 327. dimisso Concilio Niceno, quo & Indictio secunda Constantiniana inivit à 24. Septembris, die Dominica; & inde cœpit Annus Christi 327. secundum ritum Ecclesiæ Constantinopolitanæ; quod caput anni hæctenus apud Græcos obtinet, quanquam mutata ratione Cycli Solaris, & initio Anni à 24. Septembris ad Kalendas ejusdem traducto. Romanæ autem Ecclesiæ cyclus inivit à Kalendis sequentis Januarii, anno Christi 328. (et si contra Scaligerum Petavius statuat, oper. de doctr. Temp. lib. 6. c. 28.) propterea quod Indictio quoque Romana ab eisdem Calendis inire soleat, non 24. Septembris antecedentis.

§. 4. Dicitur *Cyclus*, quod in orbē instar Circuli recurrit. *Solis* autem cognominatur, non propterea, quod Solis ostendat motum, sive quod Sol annis 28. aliquam *σπονδαία* *κύκλον* faciat; sed quia *literam diei Solis* ejus beneficio cognoscimus. Sicuti enim in anno quolibet Alphabeti Character è prioribus septem assignatus est diei Dominicæ, quæ feriis postmodum & cæteris denominationem tribuit: ita annis 28. nec citius eisdem, nec tardiùs accidere compertum est, ut omnis illa varietas literarum Dominicalium, *ordine retrogrado* subsequenti- bus se invicem annis tribuendarum in initia circuli recurrat. Equidem quæ nihil est, ubi vel incipiat vel finiatur orbis rotundus; interim Artifices Principium aliquod certum assumere solent, unde progressus reliqui numerus dependeat: Sic fieri putant optimè, cum in Cyclo solis lustrum initium capitur aut ab anno Bissextili, aut ab eo, qui proximè Bissextilium sequitur, ut in fine quarti anni sit Bissextilium. Si enim ab anno primo Christi Cyclus Solaris ineat, primus annus Communis erit, quartus quisque bissextilis; & primum lustrum Cycli solis in annis Christi has literas Dominicales obtinebit, B, A, G, F, E. In annis autem Julianis, qui sumuntur ab ordinatione Faustorum Cæsaris, 45. annis ante Æram Christi Dionysianam, primi lustrum literæ Dominicales erunt, C, B, A, G, F. At Cyclus Solis Romanus propriè dicitur is, cujus Lustrum annus primus est G, F, qui convenit Bissexto Juliano, cujus litera est F. ac propterea

pterea ab eo anno incipit Cyclus Solis Romanus, in quo F  
post Bisextum est litera Dominicalis.

§. 5. Verum enim verò, cur 28. Annorum, & non 7. poti-  
ùs, (ad numerum literarum Dominicalium) systema Cyclo  
Solis attribuerimus, quærere aliquis posset? hic sciendum,  
oriri è Bisexto, singulis 4. annis incidente tantum temporis  
Intervallum. Annus Julianus alioqui 365. dies habet, cum  
appendice 6. horarum, quæ si nulla foret, & annus præcisè  
diebus 365. definiretur, cujusmodi Ægyptiacus est, 7. Anno-  
rum spatio feriæ omnes orbem suum peragerent, & literæ Do-  
minicales per Circulum evolutæ ad idem caput Anni Juliani,  
eundemque ordinem redirent. Etenim 365. dies per 7. divi-  
si unitatem relinquunt: ob eam causam eadem feriâ termina-  
tur annus, à quâ incipit; ut si Kal. Januar. inferiâ 1. inciderint,  
literâ currente A, ultimus Decembris itidem erit feria prima;  
Sequens igitur annus à feriâ 2. inchoabitur, tertius à tertiâ, &  
ita porro; donec absolutis annis 7. annus octavus à feriâ pri-  
mâ rursus incipiat. Sunt enim Septenarii, sive Hebdoma-  
des in anno 52. cum uno die superfluo, qui solus variat ordinem  
feriarum in capite anni sequentis. At Annus Julianus, qui  
in usu licet Civili 365. diebus exactis finem adipiscitur, horas  
tamen in residuo sex ad quartum usque protrahit annum, cui  
integer adnumerandus est è quater sex horis conflurgens dies.  
(hic inter 24 & 25. Februarii vulgo inseritur; ita ut 24. Februarii  
bis numeretur, & uterq; dies, eadem literâ signatus, pro uno habeat-  
ur: Quæmobrem in ejusmodi Anno litera Dominicalis gemina obti-  
net, & prior quidem ad 24. Februarii usq; retinetur, deinde altera  
succedit.) Adeoque sic perturbatur series, & longius interval-  
la tñs διακρίσεις αἰώνος feriæ produciuntur. Quia. anno bisextilis  
eadem, quâ incepit, feriâ non finitur, sed sequente, non pot-  
est 7. annorum spatio varietas omnis in orbem recurrere; quin  
potiùs requiruntur 28. anni, è multiplicatione quaternarii,  
(nam eo annorum numero Bisextilis contingit) & septenarii  
(hic enim Feriarum, & feriis respondentium Literarum est nu-  
merus) provenientes. Haftenus de Cyclo solari; de quo

plura vide apud Scaligerum, *Can. Isag. lib. 3. Petav. de doct. Tempp. lib. 6. c. 28. l. 7. c. 3. Calvis. Isag. Chron. c. 16.*

§. 6. *CYCLUS LUNÆ*, aliàs *Metonis*, *Aureus numerus*, *Græcè ἐνεαδεκαετηρίς*, est *XIX. Annorum*, tàm *Lunæ solarium*, quorum *duodecim è duodecim*, *septem è tredecim mensibus compositi sunt*, quàm *Solarium Julianorum systema*, quibus elapsis *Novilunia & Plenilunia Media ad eundem diem Julianum redire creduntur.*

§. 7. Hujus *Cycli Inventor* communiter esse statuitur *Meton Atheniensis*, *Pausaniæ filius*, insignis (prout à *Scaligero lib. 2. de Emend. Tempp.* describitur) *Mathematicus*, qui floruit in eunte bello *Peloponnesiaco*, vir non solum peritiâ motuum *cœlestium*, sed & *aquiliciis & librationibus nobilis*. Verùm analogia est, non *Identitas Enneadecaeteridos Metonicæ* cū *aureo numero*, qui nobis hodie in usu est: tantum enim *7. Embolismos*, & *19. annos* cum nostro *Cyclo* communes habet, in reliquis immane quantum differt. Neque ante tempora *Constantini Magni*, (ut docet *Scaliger Can. Isag. lib. 3.*) vel *Epactarum*, vel *aurei numeri* injecta est mentio: *Christianorum hæc inventa sunt*, qui circiter tempora *Arcadii*, & post, non solum *Kalendaris suis Epactas*, aut *numerum Aureum*, sed etiam *Fastis Paschalibus* apponebant. Nam in *Consularibus Fastis Cuspiniani*, qui nihil aliud erant, quàm *παράλιον*, ut *Græci Computatores* vocant, notatæ sunt *Epactæ Noviluniorum & ætatis sideris*. Quare, si non inventionem primam, tamen hodiernam, prout exstat, *Cycli Lunaris structuram* ad *Patres Concilij Niceni* referimus. Hi enim, quia in primis *Ecclesiæ crescentis*, & adhuc sub jugo *Ethnicorum Imp. pressæ*, annis maximum inter *Christianos dissidium* erat, quoniam tempore *Pascha* ritè celebretur, in id incubuerunt sedulo, quò sopiri ealis posset: adeoque cum *Afiaticis* convenerunt, *Pascha* semper celebrandum esse die *Dominicâ*, quæ sequitur *Plenilunium æquinoctio Vernali proximum*. Quò verò in notitiam *Vulgi* dies *Plenilunii legitimi* veniret, excogitârunt *Cyclum Lunæ*, & in eodem terminos *Paschales* annotârunt, qui nihil aliud sunt, quàm dies *Pleniluniorum Paschalium*,  
è sen-

è sententiâ Veterum legitimorum; vid. *Calvis. Isag. Chronol. c.*  
*16. Scalig. Can. Isag. lib 3.*

§. 8. Dicitur itaque Cyclus *ἐνεαδεκαετηρίδος* Lunæ *Aureus Numerus*, vel propter præstantiam suam, quod sine ullo labore Lectoris terminum Paschalem & Novilunia in Calendario ostenderet tempore Diocletiani, & Constantini Magni; sive quod Veteribus pro normâ fuerit in pleniluniis & Noviluniis calculandis: alii tamen exinde nomen ejus, quod ab Alexandrinis olim in tabellâ argenteâ aureis literis descriptus Romam missus sit, exstitisse tradunt. *Scalig. l.c.*

§. 9. Nobis ille usus Cycli Lunæ satis aureus esse videtur, quod & Plenunia Paschalia, ordine quovis anno descripta, exhibeat, & 19. annis elâpsis Syzygias medias in orbem recurrere doceat: quamvis fateri necessum habeamus, bonum hoc inventum, sicuti industriæ, & sagacis de futuro providentiæ, ita erroris etiam, & ignorantia notabilis Patres Nicenos arguere. Composuerunt è lubrico Epactarum calculo cyclum suum ad annos 19. & processisset illa methodus in exhibendis Syzygiarum terminis, si non exactissimè, quodammodo tamen, ita, ut scire etiamnum, quis dies Novilunialis, quis Plenilunialis sit, è tabellâ potuifsemus: Verùm alia est, secus atque Niceni Doctores existimârunt, annorum 19. Julianorû, alia 19. Lunæ-solarium, sive 235. Lunationum quantitas; differentia ad unam horam, 27. minuta prima, & 40. secunda assurgit; ut patet è numeris 6939. 18. 0. 0. & 6939. 16. 32. 20. Quamobrem errârunt in eo Patres prædictæ Synodi, quod terminos suos paschales, ad 235. Lunationes constructos, etiam in anno Juliano statam sedem habituros crediderunt, opinionem moti, (ut supra innuimus) eandem esse 19. annorum Julianorum mediorum, cum 19. annis Lunæ-solaribus capacitate. Sanè, ut elapso uno Cyclo ad horam cum semisse, ita tempore reformati Calendarii, anno videlicet 1582. ubi 66. Cycli præterierant, ad integrum quatrimum iste error accreverat: adeoque factum est è syzygiarum in annis Julianis retrocessione, ut termini Pleniluniales Niceni non decimam quar-

tam

ram hodie, aut 15. Lunam, sed decimam octavam potius indident. *vid. Scalig. Can. Isag. lib. 3. Petav. lib. 7. c. 3. Wilh. Lang. lib. 1. c. 8.*

§. 10. *CYCLUS INDICATIONIS* est XV. annorum Julianorum systema, ad hoc inventus, ut populi Romanorum Imperio subiecti, quo tempore solvendum esset tributum, nosse potuerint.

§. 11. Vetustissima res *Indictio* est, non in Constitutionibus Imperatorum tantummodo posteriorum, & Ecclesiasticis, sive Christianorum monumentis fundata; verum ab *Augusto Cesare*, si Græcis Scriptoribus adhibenda fides, derivata. Hi enim, in victoriæ ad Actium Promontorium ab Antonio victo reportatæ memoriam, *Indictionem* dici, quasi *In Actio*, putant: unde voluerit Cæsar, ut primo Lustro quinquennali Aurum numeraretur à Subditis, secundo Argentum, tertio Ferrum ad arma: quo nummos etiam antiquiores, in quibus, A. B. & A. T. hoc est, *ἀβερῶ δευτέρῳ, ἀβερῶ τρίτῳ*, legimus, collimare, multorum est sententia. *Scaliger, Can. Isag. lib. 3.* omnium, quæ in usum recepta sunt, temporum Civilium, vetustissimam *Indictionem* dicit esse *Antiochenam*, 48. annis ante initium Annorum Christi Dionysianorum, anno P. J. 4666. unde confurgat *Antiochena Epoche*, quæ *Evagrio* dicitur *χρηματισμὸς Ἀντιοχείων*; & hanc vocat *Indictionam Julianam*. *Wilhelmus Langius, lib. 1. de annis Christi, cap. 8.* *ἐκκαίδεκάετη χρόνον Hadriani Imperatoris* ex Anonymo introducit; ubi *Indictionum* quindecennialium peculiarem quandam originem, licet præter allegati Autoris sensum, efformare fatagit. Nos ante omnia distingvimus inter *Indictionem ipsam*, & *Cyclum Indictionis*: Illa sine dubio antiquissima institutio est, quâ de multa multi Autores & Historici scribunt; Hunc ad Concilium Nicenum referimus. *Onufrius* enim in *Fastis* autor est, Constantinum M. anno Christi 312. Imperii 7. VIII. Calend. Octobris vicisse & occidisse Maxentium, & in ejus victoriæ memoriam proximâ sequente Synodo Nicenâ stabilitas esse *Indictiones* 15. annos complectentes, & primum earum initium ad hujus victoriæ diem constitutum esse.

§. 12. ccc-



§. 12. Cœpit itaque Vêterum Cyclus Indictionalis die 24. Septembris, uti id *Beda*, cap. 46. tract. de ratione Temporis, testatur: nec quicquam nos movet opinio *Wilb. Langii*, qui in Ecclesiâ Romanâ tantum, ab VIII. Kalend. octobris Cyclum  $\epsilon\tau\omega\upsilon\epsilon\mu\eta\epsilon\omega\varsigma$  numerandi, morem obtinuisse, ordinarias verò Indictiones à Kalendis Septembris semper, & in toto Romanorum Imperio cœptas esse, tradit: Etenim rationes, quas affert, nihil ipsum adjuvare, quin potius, si explicentur rectè, pro nobis facere possunt: *Ambrosius in epistola ad Episcopos Æmylie*, & reliqui Autores ab eo citati, non tam de Kalendis Septembris, quàm ipso mense loqvuntur.

§. 13. Cæterum Indictio triplex est: *Cæsarea Germanica*, quæ est vera Constantiniana, & cœpit 24. Septembris die. Hoc caractere ex decreto Imp. Jurisperiti in Instrumentis, ut vocant, conficiendis, & alijs rebus consignandis perpetuò utuntur. *Cæsarea Constantinopolitana*, quæ à Kalendis Septembris, utpote anni Capite, exoritur. *Pontificia Romana*, quæ à Kalendis Januarii.

§. 14. Quod si usum Chronologicum spectes, idem prorsus annorum Indictionis initium est, quod annorum Julianorum reliquorum, nempe meridies primi Januarii. Docet *Calvisius*, *Isag. Chronol. c. 16.* in annis Æræ Christianæ reperiri Cyclum Indictionis, si numero annorum dato 3. adjiciantur, & tota summa dividatur per 15. residuum enim exhibebit numerum Cycli Indictionis respondentem.

§. 15. Diximus aliquid de tribus Cyclis, *Solis* nimirum, *Lunæ*, & *Indictionis*: restat, ut de *Periodis* etiam, *Victorianâ*, *Constantinopolitanâ*, & *Julianâ*, quæ palmariæ scilicet, & è circulis antea nominatis conflatae sunt, unam atque alteram thesin adjiciamus.

§. 16. *PERIODUS VICTORIANA est DXXXII. Annorum Lunæ-solarium systema, quibus elapsis Characteres Lunæ in eandem diem & feriam, eodemq; ordine in orbem recurrere dicuntur.*

§. 17. *Victoriana* dicitur ab Autore *Victorino*, quam alii communiter, & inter hos *Beda*, *Victorium* appellant, Aquitano natione; Is animadvertens, Antecessores suos, *Theophilum*

imprimis & *Cyrrillum*, Alexandrinos, ad inveniendam Paschatis solennitatem, inconuenientes Cyclos ( alter enim ex anno Diocletiani 97. alter 153. *ενενηκονταπενταετηριδα* computauerat ) adhibuisse, & Synodi Nicenæ decreta, quæ emendare animus ipsis erat, magis depravasse, aliam substituit, & svasore quidem *Hilario Sardo Romæ Episcopo*, periodum. Annus erat Christi 463. ( ut è factâ mentione Honorii, & reliquis circumstantiis apparet ) quando Victorius hoc annorum 532. systema excogitabat, orsus à Kalendis Januarii, anni ejus, in quæ Baptismum Christi referebat, 15ti Tiberij, *Duobus Geminis COSS.*

§. 18. Oritur hæc Periodus numerorum 532. è multiplicatione Cycli Solis per Cyclum Lunæ. Nihil enim aliud Victorinus, nisi *Cyclum* quendam *magnum Paschalem* efformare volebat; ideoque spatio 532. annorum Novilunia, Plenilunia, & Paschatis celebrandi terminos in eandem diem, eandem feriam, eodem Characterè literali signatam, eundemq; prorsus ordinem redire censuit. Pulchrum Inventum! Ast illa ipsa, quæ Patres Nicenos olim fefellerat, inæqualitas annorum Julianorum, & Lunæ-solarium prohibuit, quo minùs exoptato fine potiretur Victorius. Siquidem non unè in Kalendario Juliano diei affixa est Neomenia, verùm annis 304. ad integrum diem in anteriora enititur. *Scalig. libr. 2. de Emend. Tempp.*

§. 19. *PERIODUS CONSTANTINOPOLITANA* est *VIIIM. DCCCC. LXXX.* Annorum systema, quorum primus habet *Cyclum Solis primum, Lunæ primum, & Indictionis primum; ultimus verò Cyclum Solis 28. Lunæ 19. & Indictionis 15.*

§. 20. Usitata est hæc periodus *Græcis* hodie, & quamplurimis *Orientalibus*; uti id è Patriarcharum literis ad nostrates è Græciâ missis videbitur. Neque tamen ut hypotheticum aliquod hoc annorum systema, sed historicum adhibent Antiocheni imprimis & Constantinopolitani: quippe existimant, five Autores primi existimârunt, mundum in hujus Periodi anno primo fuisse conditum.

§. 21. Porrò è multiplicatione Cyclorum, Solis, Lunæ & Indictionis, summa annorum 7980. provenit. Interim *aliter Græci,*

*Græci, aliter Romani Cyclos numerant. Primus Græcorum Cyc-  
clus Solis est 18. Latinorum, & primus Latinorum est Græco-  
rum duodecimus. Cyclos verò Lunæ primus Græcorum est  
4. Latinorum, & primus Latinorum est 17. Græcorum. Quod  
attinet Cyclum Indictionis, hunc Græci eodem modo, quo  
Latini, numerant.*

§. 22. Et hoc notandum est, Annorum Periodi Constan-  
tinopolitanæ non unum, sed *geminum esse initium*. Quippe  
annos *Civiles* unà cum Indictione à Septembre auspiciantur  
Græci; at annos *Ecclesiasticos* unà cum Cyclis Solis & Lunæ ab  
Aprili. Hinc anni Computi hujus per Cyclum Solis & Lunæ di-  
visi in priore semestri unitate mutilandi sunt; quod *Scaligerum*  
non animadvertisse, notat *Petavius, de doct. Tempp. lib. 9. cap. 3.*

§. 23. *PERIODUS JULIANA est VIIM. DCCCC. LXXX.*  
*annorum Julianorum systema; cujus annus primus habuit pro Chara-*  
*ctere Cyclum Solis primum, Lunæ primum, & Indictionis primum.*

§. 24. Ad differentiam Periodorum reliquarum *Juliana*  
dicitur, non hoc sensu, ac si Julium Cæsarem agnoscat auto-  
rem; (qui anno demum hujus Periodi 4665. florere cœpit,) nec  
ideo, quod cum annorum Julianorum Epochâ communi  
principio gaudeat; sed quia Juliani anni gratiâ, & ad ejusd.  
methodum constructa est: primus enim hujus periodi annus à  
Kal. Januarii orditur, desinitque eodem, quo quivis Julianus  
annus, die.

§. 25. Autorem hujus *Systematis* celebramus *Illustrem Sca-*  
*ligerum*: Etsi enim *Petavius lib. 7. de doct. Tempp. c. 7.* inventionē  
hujus Epochæ dicat *Constantinopolitanis* assignandam esse, à  
quibus Josephus Scaliger eandem acceperit, ac ad Julianum  
& Romanum usum primus transtulerit; nec non *lib. 9. c. 1. in*  
*hoc castigandum esse nonnihil Scaligerum, quod se Periodi illius In-*  
*ventorem ac methodifuisse gloriatur, &c.* tamen in quamplurimis  
locis ipse sibi dissimilis *Petavius* fatetur, *Scaligerum ob solam*  
*Inventionem hujus egregii adminiculi laudem, honoremq; demeritum*  
*esse.*

§. 26. Equidem non negamus, *analogum quoddam* in Græ-  
corum, & potissimum Constantinopolitanorum calculis ac

Ephemeridibus reperiri, quo aliquo modo Periodus Juliana declarari possit: non etiam inficiamur, Periodum Constantinopolitanam occasionem Scaligero suppeditasse de nova methodo cogitandi; siquidem utriusque systematis eadem est quantitas, 7980. annorum videlicet; eadem etiam in utroque principia materialia, Cycli nempe, Solis, Lunæ, & Indictionis in se invicem multiplicati. At enim verò major est differentia inter duas hasce Periodos, quam ut idem cum Veteri, & non novum potius aliquod invenisse Scaliger dici debeat: nam *terminus à quo diversissimus hinc datur*; Cum Periodus Constantinopolitana per 795. annos Periodo Julianâ antiquior sit: Diversus etiam Græcorum, à Scaligeri, *scopus* fuit; illi enim ut thesin physicam proposuerunt suam Periodum, quod ipse *Petavius lib. 9. de doct. Tempp.* ex professo describit, inquit: *Periodus Constantinopolitana est series annorū Mundi ad Christum præter veritatem, per anticipationem quandam historicam numeratorum, ac quousq; libet continuatorum*; Scaligeri verò Periodus *Ens in animâ est, hypothesis Chronologica, non thesis physica*: tertio idem *Petavius in Rationar. Tempp. part. 2. l. 1. c. 4.* fatetur, Græcos Solis ac Lunæ Cyclos aliter numerare ac Latinos; si ergò aliter numerant, *si diversa computandi ratio*, quâ fronte dici potest, à Græcis Periodū Julianam, cujus ne principia quidem rectè nôrunt, (ipso fatente Jesuitâ) mutuatam esse? Adde, quod Annorum Periodi Constantinopolitanæ non idem initium sit, cum annis Periodi Julianæ; hos enim auspiciamur à meridie Kalendarium Januarii; at illos partim ab autumno, partim à Vere, ut supra diximus. Manet itaque verum, quod Scaliger in *Epistolâ Lugduni, anno 1598. ad Achillem Harleum* datâ scribit: *Non possunt ostendere, quis Recentiorum ante nos hæc tractaverit, ut negent, nos primos argumentum hoc invasisse: neq; è quibus Veteribus Scriptoribus nos illa hauserimus, ne nostrum inventum esse videatur: aut ipsi se hausturos putant, ne ad hoc operâ nostrâ indigeant.*

§. 27. Cæterum quod attinet ipsam P. Julianæ *Constructionem*, jam supra innuimus, hanc factam esse, perinde ut in *Systemate Constantinopolitano*, è multiplicatione Cyclorum,  
Solis

Solis, Lunæ & Indictionis in se invicem. Adeoq; cum vidisset Scaliger, tentatum aliquid à *Dionysio* esse, qui Cyclos Solis & Lunæ in se ducens, Periodi Dionysianæ seu Victorianæ, è 532. annis compositæ Autor aliàs dicitur, interpolavit hoc Dionysii ansum, & trium Cyclorum Periodum effecit, periodo Dionysianâ in Cyclum Indictionis ductâ; unde systema Julianum emerfit, quindecim Dionysiana comprehendens, quo temporis spatium similis 3. Cyclorum connexus, (qualis hoc anno est 13.4.9.) restituitur, nunquam citius, vel tardius.

§. 28. Et certè egregium est Laudatissimi Scaligeri hoc Inventum, cuius usus inestimabilis. Sicuti n. antehac intricatissimus erat calculus, quando annis mundi, vel annis ante Christum natum, vel aliâ quâcunque Epochâ utendum fuit; cum alter intelligere sæpius haud potuerit, quemnam hic vel ille Scriptor annum intendat; & prætereà nullam habeamus, cuius initium penes Chronologos indubitatum sit, Epocham: ita hodie facillimum est, quævis rerum gestarum tempora è Periodo Julianâ, ceu *omnium Epocharum communi receptaculo*, dignoscere; quandoquidem anno P. J. dato, Cycli Solis, Lunæ, & Indictionum, feria initialis, Litera Dominicalis, anni quantitas, &c. protinus innotescunt: si scilicet annorum P. J. numerus dividatur per 28. per 19. & per 15. neque ad *Quotum* operationis, sed *Residuum* attendatur: Atque sic mentem alterius alter intelligere non modo, sed ad quoslibet alios Characteres adhibere feliciter potest.

§. 29. Cum multa in hâc de Julianâ Periodo tractatiunculâ supersint, additu non incongrua; ut: *Quomodo character Cycli Sabbatici vel Jobelei in annis P. J. reperiri debeat; quomodo in iisdem tempora Equinoctiorum, Solstitorum, Noviluniorum & Pleniluniorum, itemq; Eclipsium inquiri, imò aliâ quamplurimâ ad methodum Scaligeri ipsius investigari possint, &c.* Nobis tamen, ne ultra propositum Theses augeantur, nihil in præsentia aliud, nisi leviusculam quæstionem, quâ ratione scilicet diei cuiusvis in anno P. J. dato character hebdomadicus seu feria inveniri queat, & deinde catalogum potiorum Epocharum, respectu Periodi Julianæ, quam Cl. Dn. M. Strauchius, Præceptor noster optimè meritis in Disputatione de Periodo Julianâ, anno 1652. habitâ, sub finem exhibet, animus est subungere.

§. 30. Quò igitur diei in anno P. J. dato character hebdomadicus inveniatur, necesse est, ut per §. 28. feria initialis, itemq; quantitas anni, & dies, de quo quæstio est, Februario posterior sit, investigetur. quibus

cognitis, illa unitate minuta addatur ad dies à Kalendis Januarii numeratos; productum enim per 7. divisum in Residuo characterem hebdomadicum exhibebit: Quod si nullum fuerit, indicium est, esse feriam septimam. Facilioris autem Computi gratiâ solent communiter tabellam dierum, quibus menses absolvuntur, collectorum construere, (talem habemus in *disp. nostrâ de Computo Thalmudico*) & hîc adhibere, ne in singulis exemplis peculiari collectione opus sit: v.g. quæritur diei 25. Decembris, seu Nativitatis Christi in hoc anno P. J. 6369. character hebdomadicus? Respondet Cyclo Solari, qui est 13. in anno Bissextili 366. dierum, feria initialis 3. hæc unitate minuta addatur ad dies à Kalendis Januarii numeratos, scilicet 360. fiunt 362. hæc summa per 7. divisa dat in Residuo feriam 5. seu diem Jovis, festo Natalitiorum respondentem.

Elapsi sunt à Periodi Julianæ initio usque ad

	anni	Menses
<i>Epocham Mundi Conditam</i>	763	9
<i>Periodi Iudaicæ initium</i>	952	8
<i>Epocham Diluvij</i>	2419	10
<i>Initium 430. annorum mansionis Israël. in Ægypto</i>	2786	3
<i>Exodum Israëlitarum ex Ægypto</i>	3216	3
<i>Ædificationem Templi Salomonici priorem</i>	3696	4
<i>Initium Olympiadum</i>	3937	6
<i>Conditum Urbis Romæ Varronianum</i>	3960	4
<i>Initium Epochæ Nabonassaræ histor.</i>	3966	2
<i>Excidium Hierosolymitanum prius</i>	4123	7
<i>Epocham Metonicam</i>	4281	6
<i>Bellum Peloponnesiacum</i>	4282	3
<i>Initium LXX. Hebdomadum Danielis</i>	4291	9
<i>Periodum Calippicam</i>	4383	6
<i>Epocham Philippicam</i>	4389	10
<i>Epocham Alexandream</i>	4401	8
<i>Epocham Iulianam</i>	4668	0
<i>Epocham Actiæ &amp; Victoriæ</i>	4683	8

Epo-

<i>Epocham Christi veram</i>	4710	9
<i>Epocham Christi Dionysianam</i>	4713	0
<i>Baptismum Christi</i>	4740	10
<i>Passionem Ejusdem</i>	4745	3
<i>Excidium Hierosol. posterius</i>	4782	8
<i>Epocham Aethiop. Diocl. Martyrum</i>	4996	8
<i>Epocham Indictionis Constantinianæ</i>	5025	0
<i>Epocham Armeniorum</i>	5264	6
<i>Epocham annor. Hegiræ Arabicorum</i>	5334	6½
<i>Epocham Iezdegird</i>	5344	5½
<i>Epocham Gelalæam</i>	5791	2½

PARADOXA.

- I. Additio & Subtractio non sunt Affectiones Numeri.
- II. Curvi ad Curvum, & Curvi ad Rectum egregia est proportio.
- III. Modus erigendi Themata Genethliaca Rationalis videtur Irrationalis.
- IV. Si polus est, circa quem fit motus, inconvenienter in intersectione Horizontis cum Meridiano, itemque in aliis Circulis Poli concipiuntur.
- V. Motus Siderum in Zodiaco ad Æquatorem Parallelus est.
- VI. Causa Stationis & Retrogradationis Planeticæ non simpliciter est motus in Epicyclo.
- VII. Eclipsis Lunæ, quæ in hoc loco apparet Totalis, in alio & reverà esse potest Partialis.
- VIII. Visibile radiat non recto tantum, sed & obliquo Radio.
- IX. Dantur Loca in globo terreno, quæ tot habent Meridianos, quot sunt in toto Terrarum orbe.
- X. Si Subpolaris Regio esset habitabilis, Incolæ vivacissimi non ultra 100. dies viverent.

S. D. G.

Ad

*Ad*  
**FLORENTISSIMOS DNN: DI-**  
**SPUTANTES, CONVICTORES ET AMICOS**  
**SUOS ADMISSIONIS INTIMÆ,**

**M**ulta laudis opus sequi Parentes,  
& magnum decus ampliare priscum est.

Sic nullo solet interire seculo  
quæ Patrum decoravit ordines, Laus.

Post si prema, Nepote diligente,

& sectante vias senum priores,  
fata, fama vetus manet superstes.

Nosti hoc, PICHTEL, Amice singularis,

& factò exprimis, ut DEÆ Minervæ  
interruptâ operaris arte totus.

Sit tuum sequeris Patrem, Themistos

illud, Juris & utriusq; Lumen.

Nec BAYERE pererudite, mentem  
in diversa trahit tuam Voluptas.

Una cura Tibi fuit doceri,

& multas didicisse semper Artes.

Et TE, PICHTELIUM Q; commereri

Laudis omnia puncta diligentum

publicum hoc specimen probans abundè est.

Nunc maecti studiis ad altiora

ambo curriculo decenter ite,

ad Pindi properate grande tulmen,

& Vobis ad aperta templa Honoris.

BONI ominis gratiâ

Scrib.

**M. Aegidius Strauch, Histor. Profess.**  
Publ. & Facult. Phil. Adjunctus.



Coll. diss. A. 89, misc. 49